

Sunt qui ex hoc principio velint eripere materiæ primæ omnem existentiam propriam sibi, etiam partialem et incompletam ac naturam suam ordinatam, ut compleatur per formam substantialem ejusque formam. Dicunt enim materiam, quæ sua gauderet existentia, licet partiali, foret ens actu, et similiter forma, ac proinde tum materia et forma forent duo actu, nec possent unum actu efficere. Verum hæc doctrina rejicitur a reliquis omnibus Philosophis, qui materiæ primæ suam propriam existentiam tribuunt, existimantque, sicut compositum corporeum constat entitate materiæ et entitate formæ realiter inter se distinctis et unitis in unam specificam rationem et essentiam completam, ita etiam existentiam compositi coalescere ex partiali existentia materiæ ac formæ unam completam existentiam constituente. Itaque axioma istud in hac majori extensione atque amplitudine acceptum evidens non est, nec admitti debet, donec sufficienter probetur ab assertoribus hujus opinionis (1). Doctrinam vero ipsam, cui hæc tam controversa inter Philosophos interpretatio innitur, directe expendemus in naturali Philosophia.

ARTICULUS IV.

Divisio entis in potentiam et actum, possibile et actuale.

232. Communissima et celeberrima est divisio entis in actum et potentiam, cujus membra ex hactenus dictis manifesta sunt. Bene autem monet Petrus Fonseca (2), divisionem hanc trifariam intelligi posse: primo, ut sensus sit, quodlibet ens aut esse potentiam aut actum: unde ens in divisione ista hoc modo intellecta foret totum potentiale sub sua amplitudine complectens actum et potentiam. Secundo intelligi prædicta divisio potest, ita ut sensus sit, ens omne divisibile esse in actum et potentiam instar totius actualis in partes, ex quibus actu coalescit, et constituitur. Tertio denique ita, ut nomine actus veniat quiddam *actu est*; et

Varii sensus,
quibus intelligi
potest
divisio entis in
actum
et potentiam

(1) Vide Suar., loc. cit., disp. 31, sect. 11, n. 17, 18. Cfr. Reeb. loc. cit.

(2) Lib. 9 *Metaph.*, cap. 1, q. 1, sect. 1.

potentiæ, quiddam *potest esse*, licet nondum sit; testante namque Angelico Doctore, *quoniam quoddam potest esse, licet non sit, quoddam vero jam est; illud quod potest esse, et non est, dicitur esse potentia, illud autem quod jam est, dicitur esse actu* (1). Quare tertio hoc sensu intellecta divisio entis in actum et potentiam æquivalet prorsus divisioni entis in actuale seu existens et possibile.

Divisio entis in actum et potentiam non est usitata in primo sensu ex communi modo loquendi, nec, si quando in eo sensu adhibeatur, adæquata esse potest, quandoquidem sunt entia innumera, corpora exempli causa, quæ nec sunt actus nec potentia, sed composita ex utroque. Divisio in altero sensu intellecta usitatio quidem est, non tamen est adhuc adæquata, si velimus sumere ens in tota sua latitudine. Nam Deus certe non componitur ex actu et potentia, sed est purus actus, itemque materia prima, quia est pura potentia. Si autem divisio ista soli creato enti accommodetur, videtur esse adæquata, nam, ut inferius dicitur, nulla est creata natura, quæ ex aliqua potentia et actu non componatur, sive secundum rem, sive saltem secundum rationem. Denique divisio in tertio sensu exposita completa est, ambitque ens in tota sua latitudine, siquidem nullum est ens reale seu non chimericum, quin existat, aut certe possit existere. Nihilominus modus loquendi, secundum quem per divisionem entis in actum et potentiam exprimitur divisio entis in actuale et possibile, satis proprius non est. Neque enim perinde est esse actum et esse in actu, vel esse potentiam et esse in potentia (2), actus enim et potentia distinguuntur, quemadmodum in superioribus vidimus, ens autem in actu vel actuale vel existens et ens in potentia vel possibile non distinguuntur, sed sunt eadem res in diversis statibus concepta (3), prout melius patebit cum de possibilibus agendum erit. Hoc tamen oportet recte intelligere. Ens enim actuale et possibile revera distinguuntur, sicut ens et non ens simpliciter, siquidem ens possibile vel in potentia nihil est

Quo sensu ens
actuale
et possibile
dicantur unum
et idem.

(1) S. Thom., Opusc. de *Principiis naturæ*, initio.

(2) Cfr. Suar., in Comment. Aristot., lib. 9 *Metaph.*, in proemio.

(3) Vide Fonsecc., lib. 9 *Metaph.*, c. 1, q. 1, sect. 2; Suar., disp. 14, sect. 2, n. 12, disp. 41, sect. 2, num. 9.

physicum ac reale in rerum natura, donec per virtutem causæ producatur, ens autem actuale est verum ens physicum, reale in se extra causas habens entitatem. Sed quoniam Petrus v. g. possibilis non distinguitur specie nec numero a Petro existente, quia Petrus possibilis nihil est, et nihilominus eodem conceptu cognosci et exprimi mente potest Petrus sive actu existat sive non, ideo distinctio hæc «ab aliquibus vocatur realis negativa, quia unum extremum est vera res et non aliud, ab aliis vero vocatur distinctio rationis, quia non sunt duæ res, sed una tantum quæ per intellectum concipitur et comparatur ac si essent duæ» (1). Et in hoc sensu dicitur ens possibile et actuale non distingui, sed esse una res in diversis statibus ac modis essendi.

ARTICULUS V.

Notio possibilium ac possibilitatis enucleatur.

233. Quomodo id, quod potentiam habet, generatim *potens* dicitur, ita id quod aptum est ad existendum, nomen sortitur possibilis. Est ergo possibile *id, quod potest existere*, vel ad mentem Aristotelis, est *id, ex quo in actu posito nihil sequitur impossibile* aut repugnans. Quamobrem possibile importat concretum quoddam, cuius materia seu subjectum est essentia, quæ possibilis denominatur, forma vero denominans est possibilitas seu aptitudo vel capacitas aut carentia repugnantiae ad existendum. Sicut e contrario impossibilitas idem sonat ac repugnantia ad existendum. Possibile sic explicatum aequè late patet atque ipsum ens nominaliter sumptum, immo non videtur ab eodem reapse differre. Enimvero quid aliud est *capax existentiae*, seu non repugnans existere, atque *habens essentiam realem*? Itaque sub hac latissima acceptione possibile solum opponitur impossibili et chimærae, ac sub se comprehendit non solum ea, quæ non existunt, quamvis existere possint, verum etiam ea, quæ actu, sive necessario sive contingenter, existunt; ea quippe quæ actu existunt, profecto non repugnant existere.

(1) Suar., disp. 31 *Metaph.* sect. 3, n. 9.

Alia est tamen acceptio *possibilis* magis restricta, quæ idem sonat ac *contingens*; nimirum quod est aut certe potest esse, verum non necessario, sed contingenter: quo pacto excludit non solum *impossibile*, sed etiam id quod *necessarium* est. Verum hæc acceptio, non est tam usitata, nec propria hujus loci, non enim intendimus nunc declarare, quid sit contingens. In tertia denique acceptione possibile magis adhuc stricte sumitur pro non existenti, sed capaci ad existendum, id quod vocari etiam solet *pure possibile*. Et res pure possibilis dicitur esse in statu possibilitatis, sicut e converso res existens in statu existentiae.

Itaque possibile in latissima illa significatione dividi solet in *pure possibile* ac *præcisive possibile*. Pure possibile est, ut modo dicebamus, id quod non existit quidem, nec tamen repugnat existere: et præcisive possibile est id, quod aptum est ad existendum, sive interea existat actu sive non existat.

Tum possibile tum possibilitas dividitur in *internam* et *externam*. Possibile intrinsece dicitur, quod non implicat in se repugnantiam, et intrinseca possibilitas est carentia repugnantiae inter notas rem constituentes. Sic homo est intrinsece possibilis, quia nullam involvit in se repugnantiam, sed constat prædicatis notisque invicem socialibus. Extrinsece possibile est id, ad quod in actu producendum adest virtus capax; et possibilitas extrinseca est aptitudo essentiae ad existendum ex eo procedens, quod adsit virtus capax illam producendi. Quare denominatio *extrinsece* possibilis relativa est, ordinem dicens ad causam efficientem, et ob eam causam dicitur possibilitas hujusmodi *extrinseca* vel *respectiva* seu *relativa*, vel *causalis*, vel *activa*, vel *illativa*, vel *radicalis*. Denominatio vero *intrinsece* possibilis desumitur ex propriis notis constitutivis essentiae, ideoque possibilitas exinde declarata recte vocatur *interna*, vel etiam *absoluta*, vel *formalis* vel *absoluta* vel *passiva* (1). Divisio hæc, quamquam non ab

(1) Cfr. S. Thom., 1 p., q. 25, a. 3, corp. et ad 4.^{am} et q. 46, art. 1 ad 1.^{am}; *de Pot.*, q. 1, a. 3; Cajetan. in 1 p., q. 25, art. 3; Tolletus, *ibid.*, in 1 p. q. 25, a. 3; et Molin., *ibid.*; Suarez, disp. *Metaph.* 30, sect. 17, n. 10; Lössada, *Curs. philos.*, *Metaph.*, disp. 2, in proem., et alii AA. passim.

Alia acceptio
Possibilis
parum usitata:

tertia acceptio.

Possibile
dividitur
1. in possibile
præcisive ac pure
possibile;

2. in intrinsece
et extrinsece
possibile.

omnibus agnoscat, ab iis nimirum, qui ut mox exponemus, omnem possibilitatem per ordinem ad activam potentiam desumunt et explicant: est nihilominus communis in omni Schola, et valde conformis communi hominum sensui, ac propterea jam nunc in ipso disputationis hujus limine declaranda erat (1).

Impossibile
intrinsicè
vel extrinsicè.
Possibile
vel impossibile
absolute
et conditionate
Possibilitatis vel
impossibilitatis
metaphysicæ,
physicæ et
moralis.

Duplici huic possibilitati duplex alia respondet impossibilitas, quæ jam per se satis cuique innoscit. Dividitur etiam tum possibilitas tum impossibilitas in *absolutam* (2) et *hypotheticam*, prout non pendeat vel pendeat ab aliqua conditione.

Alia denique passim perhibetur divisio possibilitatis vel impossibilitatis in *metaphysicam*, *physicam* et *moraalem*. Possibilitas metaphysica est illa, per quam aliquid non involvit vel continet in se prædicata invicem pugnantia: unde si non existit, saltem per divinam omnipotentiam potest produci. Talis est, v. g., possibilitas hominis, equi, etc. E converso id, quod notis coalescit inter se reluctantibus, dicitur impossibile metaphysice, ut circulus quadratus vel asinus rationis capax. Physica est illa, per quam aliquid etiam per vires naturales ac citra miraculum esse posset. Sic possibile est ignem comburere, vel hominem sanum atque integrum ambulare, vel qui lingua expedita gaudet, loqui. Physice impossibile est, quod per vires naturales aut citra miraculum esse non potest: quo pacto impossibile est hominem volare vel mortuum ad vitam revocari, aut lapidem sistere in aëre absque ullo fulcimento. Moralis demum possibilitas est illa, per quam aliquid non solum potest esse utcumque per vires naturales, sed etiam facile et absque ulla prudentium admiratione, v. g. hominem sanum ac robustum attollere pondus octo librarum, aut juvenem mediocris ingenii linguam latinam idoneo magistro addiscere. E contrario moraliter impossibile dicitur, id quod fieri certe posset per vires naturales, at vero fieri non solet sine maxima difficultate, ideoque si

(1) Cfr. P. Joann. Bapt. de Benedict., *Philos. Perip.*, tom. 4, *Metaph.*, lib. 1, quest. 1, cap. 2.

(2) Ut vides, vox *absolutum* in hac divisione aliter sumitur ac in precedenti, quando diximus possibilitatem intrinsicè vocari quoque absolutam: ibi enim absolutum opponitur *relativo*, hic vero hypothetico vel conditionali.

quando fit, admirationem sapientium extorquet. Sic moraliter impossibile est odium parentum in filios. Ineptia proinde atque communi Philosophorum sensui contraria est notio *impossibilis moralis*, quam his verbis expressit Genueusis: «Impossibilia moralia vocant Philosophi, quæ quidem sunt possibilia intrinsicè; sed tamen quia cum Dei natura pugnant, fieri a Deo nequeunt, velut eum mentiri, errare, peccare aut peccati esse auctorem» (1). «At quis non videt, ut recte scribit cl. P. Liberatore, hæc et similia, hoc ipso quod divinis attributis repugnant, internam seu metaphysicam impossibilitatem afferre? Certe Deus mentiens, errans, peccati auctor, conceptibus mutuo pugnantibus coalescit, quodque subjectum propositionis ponit, attributum demit. Id igitur non moraliter impossibile, sed evidenter impossibile metaphysice est» (2). Quare moraliter impossibile potest esse physice possibile, et physice impossibile metaphysice possibile; metaphysica vero impossibilitas necessario perimit consequenter possibilitatem etiam omnem physicam et moralem.

234. Jam circa possibilia et possibilitatem essentialium quædam solent quæstiones instuiti. Et primo quidem dubitari ab aliquo posset utrum dentur pure possibilia, an vero existant actu ea omnia, quæ possunt existere. Impius enim Robinetius aliique fatalistæ tum veteres tum recentiores, cum Abælardo (3), Wicleffo, Spinoza (4), et Hobbes, Diodorum Megaricum secuti, negant quippiam pure possibile esse: unde illa est vox Robineti: *Pure possibile impossibile est* (5). Quæ doctrina sponte fluit ex fatalismo, siquidem *si omnia ex necessitate eveniunt, sequitur, quod ea quæ non eveniunt, non possibile est esse* (6).

Genueusis com-
mentum
repellit.

Robineti ac
fatalistarum
error
negans quid-
piam esse
pure possibile

(1) *Element. Metaph.*, part. 1, cap. 2, def. 10.

(2) Institut. Philosoph., *Metaph. Generalis, seu Ontol.*, cap. 2, art. 2, n. 88, pag. 305 in nota 1, Prati, 1881.

(3) Ap. S. Bernard., *de error. Abælard.*, cap. 3. Cfr. Eminent. Gonzalez, *Historia de la Filosofia*, tom. 2, paragr. 35 fin.

(4) Cfr. Eminent. Gonzalez, Op. cit., tom. 3, paragr. 59.

(5) *Le purement possible est impossible*, Robinet, *De la Nature*, part. 6, ch. 50 apud Roselli, *Summ. Philos.*, tom. 5, quest. 1, art. 1.

(6) S. Thom., lib. 9 *Metaph.*, lect. 3, initio.

PROPOSITIO. Absurdus est error illorum, qui negant quiddam esse posse præter ea, quæ actu existunt.

expolitur.

Prob. 1.^o Error iste detrahit in primis omnipotentia divinæ. Si enim nihil foret possibile præter ea, quæ existunt, ergo jam Deus fecisset omnia quæcumque posset, exhaustaque foret infinita illius virtus. Præterea virtus infinita potest facere quiddam contradictionem non involvit. Atqui multa non sunt actu, quæ tamen si essent, contradictionem non implicarent, sicut patet præcipue circa numerum, quantitatem et distantias stellarum et aliorum corporum: in quibus si aliter se haberet ordo rerum, contradictio non implicaretur (1). Ergo hæc quæ actu non sunt, possent a Deo fieri, atque adeo possible sunt.

Prob. 2.^o Idem error detrahit etiam divinæ libertati in agendo. Eatenus enim quæcumque possible sunt, actu de facto existunt, quin possit aliquid aliud præterea esse, quatenus Deus cogitur ad producendum omne id, quod in sua infinita virtute continetur.

Prob. 3.^o Si vera foret Robineti assertio, mundus hic esset necessario æternus. Si enim non esset æternus, quandoque non fuit. Quæro ergo an tum, cum non erat, fuit possibilis, necne. Si fuit possibilis: ergo datur pure possibilis. Si non fuit possibilis, fuit impossibilis. Atqui quod impossibile est, fieri non potest. Ergo relinquitur, ut alterum dicendum sit, vel quod detur pure possibile, vel quod mundus, et quiddam fit, ab æterno esse debeat: quod est contra Fidem divinam.

Adde quæ superius dicta sunt circa separabilitatem potentia ab actu. Quæ autem Robinetus concessit ad errorem suum fulciendum, eo tendunt omnia, ut Deo eripiant libertatem in agendo, ideoque alibi opportunus dissipabuntur (2).

235. Illa vero subtilior est controversia, utrum res possible, antequam fiant, habeant ab æterno aliquod verum

(1) S. Thom., lib. 2.^o *Contr. Gent.*, cap. 23, *Adhuc.* *Quidquid non implicat.*

(2) Cfr. S. Thom., 1.^a p., quæst. 25, art. 5; et *de Potent.*, quæst. 1, art. 5, ubi solute reperiuntur quædam levissimæ difficultates, quæ contra stabilitam doctrinam moveri possunt.

Utrum res
possibles ante-
quam fiant, esse

esse actuale sibi proprium et intrinsecum. Nam si res antequam fiant, possible sunt, et cum actu fiunt a statu possibilitatis ad statum actualis existentia per operationem causæ efficientis transvehuntur; quæri potest, quidnam sint, vel utrum habeant aliquam actualitatem in illo possibilitatis statu. Et dubium versatur circa esse aliquod actuale proprium et intrinsecum. Nam dubitari nequit, quin possible habeant esse aliquod extrinsecum, idque duplex, alterum intentionale in mente divina, alterum virtuale in omnipotentia Dei. Esse intentionale in eo consistit, quod possible ab æterno cognoscantur a Deo; quiddam enim cognoscitur, in mente cognoscentis esse dicitur, idealiter videlicet. Verum esse huiusmodi seu cognosci, ut patet, nihil est intrinsecum ac reale ipsi rei cognitæ, sed cognoscenti dumtaxat, in quo cognitio est actus realis. Et idem dicendum est de altero esse virtuali, quod possible habent, externam eorum possibilitatem constituens; sicut effectus quilibet generatim continetur, antequam fiat, in virtute causarum suarum. Dubitari item nequit inter catholicos, quin possible nullum esse physicum actualis existentia habuerint ab æterno. Nam Fide divina certum est, nihil præter Deum existere, nisi per divinam efficientiam, creationem autem rerum æternam non fuisse, sed temporaneam (1). Quæstio itaque est, utrum possible antequam esse existentia a Deo per creationem accipiant, præter illud esse improprium et extrinsecum, quod inesse illis dici potest per denominationem ab æterna cognitione et virtute, qua cognoscuntur et fieri possunt a Deo, habeant aliquod aliud esse reale et actuale, quod ipsis proprium sit atque intrinsecum, an vero sint in seipsis purum nihil. Est enim celebris veterum quorundam apud Socraticum (2) et alios sententia dicentium, res antequam fiant, habere esse quoddam actuale et proprium, non quidem existentia, sed essentia, quod vocant etiam esse quidditativum, siquidem quidditas idem sonat atque essentia. Esse autem huiusmodi essentia non inest possiblebus, inquirunt, per

aliquid
sibi proprium
habeant.

Status quæ-
stionis

Sententia quorundam A. A.

(1) Vide S. Thom., 1.^a p., quæst. 10, art. 3; quæst. 46, art. 1. etc.; Suarez, disp. 31, sect. 2, n. 1 et 3.

(2) *Metaph.*, lib. 9, quæst. 4.

creationem aut effectiorem a Deo, sed ad creationem præsupponitur, ex eoque per creationem ad esse existentie transferuntur: unde etiam esse hujusmodi, rebus ipsis corruptis vel existentia spoliatis, permanet immutabile et incorruptibile. Propterea etiam esse istud quidditativum dicitur non dependere a Deo tamquam a causa efficiente, sed solum tamquam a causa exemplari dumtaxat, quia nempe non est a Deo factum, est tamen quidpiam simile divinæ essentiae illamque imitans. Sententia hæc tribuitur Henrico Gandavensi (1) et Capreolo (2). Eandem tenet ex Thomistis inter alios Nazarius (3) et Godoy (4), qui perperam in suum favorem allegat Cajetanum (5); et ex nostra Societate P. Sebastianus Izquierdo (6), et pro eadem etiam adducuntur P. Granadus (7) et P. Albertinus (8).

Verba Capreoli hæc sunt: «Erat autem extra nihilitatem quæ est carentia actualis existentie, essentia in esse essentia, quæ absolute considerata ut natura vel quidditas est subtrahibilis nihilitati existentie et aliquidditati existentie, hoc est ipsi esse vel non esse actualis existentie et ipsa secundum se semper est aliquid in genere essentiarum et in genere intelligibili et in potentia activa creatoris, licet non in esse reali actuali, ut declarant Henricus et Godofredus et Bernardus de Gannaco... Et cum dicitur, quod tunc lapis non est factus ex puro nihilo, dico quod non est factus ex puro nihilo in genere entium vel essentiarum, sed ex puro nihilo existentium, vel in potentia passiva extra Deum, nam antequam mundus esset, vel crearetur mundus, erat mundus, et erat id, quod nunc est, non in actuali existentia, nec in potentia activa vel passiva creaturæ, sed in potentia Dei et

(1) In Summa, art. 2, quæst. 23-25; Quodlib. 9, quæst. 1 et 2; Quodlib. 11, quæst. 3.

(2) 2.^a Dist. 1, quæst. 2, art. 3, ad 4.^{um} Aureoli argumentum.

(3) Apud Martinez de Prado, *Metaph.*, 1.^a part., contr. 7, n. 2.

(4) *De Dei scientia*, tract. 3, disp. 26, paragr. 4.

(5) Comment. in Opusc. S. Thomæ, *de Ent. et essent.*, cap. 4, quæst. 6. Quoad secundum, et cap. 5, quæst. 11, ad 4.^{um}, 5.^{um} et 6.^{um}

(6) In *Pharo scientiar.*, disp. 10, quæst. 1.

(7) *Tract. de Potent. Dei*, disp. 7, sect. 2.

(8) *De Prædicam. substant.*, quæst. 1.

esse intelligibili, et secundum suam absolutam considerationem: item in potentia logica, quæ est non repugnancia terminorum. Non enim repugnabat rosæ esse substantiam, esse corpus, esse florem. Et ideo conceditur, quod rosa ab æterno erat substantia, corpus, flos, non actu, vel potentia, in Deo» (1). Similia repetit paulo inferius, dicitque hanc esse opinionem Alberti et multorum aliorum, immo etiam contendit eandem hanc doctrinam traditam quandoque fuisse ab Aquinate (2). Postea vero proponit tamquam securiorem sententiam aliis in locis, ut mox videbimus, expositam ab eodem S. Thoma. Negat tamen etiam primam hanc opinionem erroneam esse aut errori proximam «nisi pro quanto videtur ponere, quod essentia habet aliquod esse, et non a Deo.» «Sed hoc, inquit, non debet movere, quia sicut dicit Hervæus, et bene meo iudicio, essentia habet duplex esse, scilicet esse essentia et esse existentia: et quodlibet istorum habet a Deo, sed prius habet a Deo, ut est causa exemplaris, dans per suum intelligere esse intelligibile et quidditativum cuiuslibet essentia: secundum autem esse dat, ut est causa efficiens. Et sic non sequitur, quod creatura habeat aliquod esse, quod non sit a Deo; sed solum quod non dicitur creari, quantum ad primum, sed quantum ad secundum esse» (3). En doctrinam principis Thomistarum Joannis Capreoli.

Similis huic est secunda sententia, quæ Scoto a Thomistis tribuitur, quamvis illum hac calumnia liberant Suarez (4), Vazquez (5) et Scotistæ, ac nominatim Bartholomæus Mastrius (6); at certe est Scotistarum Pontii et Herrære, tributivum possibilibus esse quoddam distinctum ab esse, quod habent in Deo, et medium quodammodo inter esse reale et rationis, quod propterea vocatur *diminutum* et *secundum quid*, potentiale et etiam *derelictum*, quia videlicet relinquitur

Sententia
Scotistis attributa
de esse
diminuto
possibilibus
convenienti.

(1) Capreolus, loc. nup. cit.

(2) S. Thom., *Quodlib.* 8, art. 1.

(3) Capreolus loc. cit.

(4) *Disp. Metaph.*, 31, sect. 2, n. 1, 2.

(5) Comment. in 1.^{am} part., disp. 70, cap. 2, n. 8, et disp. 104, cap. 3, n. 9.

(6) *Metaph.*, disp. 8, quæst. 1, n. 2, 3.

intellectui fabricandum (1). Et hujusmodi *esse* est id, ad quod terminatur cognitio, per quam Deus cognoscit possibilis, nec proinde producit, aut convenit illis per actum divini intellectus. Doctrinam hanc communem Scotistarum cum Subtili Doctore esse scribunt Franciscus Herrera (2) et Pontius (3), reclamante vehementer Mastrio, qui negat nomine *esse diminuti et secundum quid* tribuisse Scotum possibilibus aliud *esse*, quam purum *esse cognitum*, quod omni rei cognitæ, sive possibili sive existenti, convenit per meram denominationem extrinsecam ab actu cognitionis, qui nihil intrinsecum ac reale ponit, nisi in ipso cognoscet (4). Unde sententiam illam Scoto impositam a Cajetano (5) et Thomistis, communiter impugnari docet a Scotistis, nec re vera teneri, nisi ab Herrera et Pontio (6); immo vero in eo, quod ponit *esse* diminutum non convenire possibilibus dependenter ab actu divini intellectus, nec ab Herrera teneri, sed *esse* singularissimam solius Pontii (7). Quæ cum ita sint, secunda hæc opinio, quamvis aliis utatur loquendi modis, vix tamen quoad rem ipsam videtur ab Henrici opinione discrepare.

Sententia
communissima

Alia demum est sententia communissima negans possibilibus, antequam existant, omne *esse* veri nominis proprium et intrinsecum atque actuale, quocumque tandem nomine appelleretur, solumque tribuens illis *esse* illud extrinsecum duplex, quod supra declaravimus; unde sequitur possibilis antequam existant in seipsis non esse nisi purum

(1) Cfr. Vazquez, loc. cit., disp. 70, cap. 2, n. 8 et 9; Dupasquier, *Metaph.*, disp. 5, quæst. 4.

(2) 1.^o Sent., disp. 16, quæst. 3.

(3) *Metaph.*, disp. 18, quæst. 5, *Conclus.* 4.

(4) Loc. cit., art. 2, a num. 16.

(5) Comment. in 1.^{am} part., quæst. 34, art. 3, vers. fin. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 5. *Circa conclusionem* quoque...

(6) Vide Mastrium loc., cit., n. 3.

(7) Vide Pontium, loc. cit., *conclus.* 5.^a Cfr. Mastrium, loc. cit., n. 3. Novi aliter sentire alios Scotistas, qui non solum *esse* diminutum medium inter reale ac rationis distinctum ab *esse* cognito defendunt, sed eam quoque doctrinam Subtili Doctore omnino adscribunt. Itaque rem in medio relinquo, neque enim velim ulli sententiam, quam non tenet, falso appingere.

nihil. Hanc tuentur S. Thomas (1), Hervæus (2), Soncinas (3), Cajetanus (4), Bañez (5), Zumel (6), ac Thomiste frequentissime, sicut etiam Nostri cum Suarez (7), Vazquez (8), Valentia (9), Hurtado (10), Quiros (11), Arriaga (12), Compton (13), Rhodes (14), de Benedictis (15), Sylvestro Mauri (16), Soarez lusitano (17), Oviedo (18), Nicolao Martinez (19) et Lossada (20). Et eandem revera sequi videtur Mastrius (21), qui multos pro se laudat Scotistas, ut Radam, Fabrum, Meurisse, Smisinch, Vulpem, aliosque. Quamvis enim Mastrius explicans, quale sit illud *esse* cognitum vel *esse* diminutum, ex divina cognitione proveniens, quod possibilibus convenit, admittat debere quodammodo intrinsecum illis dici, quia est primum *esse* formale illorum, per quod nempe formaliter *esse* dicuntur, fere sicut entia rationis sunt formaliter per hoc quod cognoscuntur, nec aliud *esse* habent, nisi quod cognoscantur; negat tamen hujusmodi *esse* ponere aliquid in creaturis, ratione cujus dici queant esse in seipsis absolute

(1) *De Potent.*, quæst. 3, art. 5, ad 2.^{am}, art. 17 ad 10.^{am}; 1 p., quæst. 14, art. 9; quæst. 45, art. 1 et art. 2 ad 2.^{am}; quæst. 61, art. 2; 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 2.

(2) *Quodlib.* 11, quæst. 1.

(3) *Metaph.* lib. 9, quæst. 4.

(4) Loc. sup. cit.

(5) In 1.^{am} part., quæst. 10, art. 3.

(6) *Ibid.*

(7) Disp. *Metaph.* 31, sect. 2.

(8) In 1.^{am} part., loc. cit.

(9) In 1.^{am} part., disp. 1, quæst. 10, punct. 2 fin.; quæst. 12, punct. 2; quæst. 17, punct. 3.

(10) *Metaph.*, disp. 8, sect. 2.

(11) *Curs. philos.*, disp. 108, sect. 2.

(12) *Metaph.*, disp. 2, sect. 2, subsect. 5, n. 30, 32 seqq.

(13) *Metaph.*, disp. 4, sect. 2.

(14) *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 2, quæst. 2, sect. 3.

(15) *Metaph.*, lib. 1, quæst. 1, cap. 1.

(16) *Question. philos.*, tom. 1, quæst. 47, *Dicendum* 3.^o et 4.^o

(17) *Metaph.* tract. 1, disp. 2, sect. 6.

(18) *Metaph.*, controv. 2, punct. 1.

(19) *Deus sciens sive de Scientia Dei*, controv. 2, disp. 1.

(20) *Metaph.*, disp. 2, cap. 1.

(21) Loc. cit., art. 2, a. 4 seqq. et art. 2.

loquendo» (1). Quibus verbis equidem puto Mastrium eam docere voluisse opinionem, quam sub aliis verbis tuentur quidam recentiores, cum scribunt possibilia dependere a divino intellectu tamquam ab exemplari formali: qua de re paulo inferius agendum erit.

eligitur.

236. PROPOSITIO. Possibilia, antequam fiant nullum veri nominis ESSE proprium atque intrinsecum vel reale habent, sive illud ESSE quidditativum vel essentialis, sive ESSE diminutum, sive quocumque alio nomine appelles; sed sunt purum nihilum actuale.

Mens
S. Thomæ.

Doctrina hæc est diserte tradita ab Aquinate: *Antequam mundus esset, inquit, possibile erat mundum esse; non tamen oportet, quod aliqua materia præexistere, in qua potentia fundaretur. Dicitur 5.^o Metaphysicor. (text. 17) aliquid aliquando dici possibile, non secundum aliquam potentiam, sed quia in terminis ipsius enuntiabilis non est aliqua repugnantia, secundum quod possibile opponitur impossibili. Sic ergo dicitur, antequam mundus esset, possibile mundum fieri, quia non erat repugnantia inter prædicatum enuntiabilis et mundum. Vel potest dici, quod erat possibile propter potentiam activam agentis, non propter aliquam potentiam passivam materiæ (2). Alibi (3), non aliud esse tributis illis, quæ actu non sunt, nisi esse quod habent in potentia vel ipsius Dei vel creaturæ; sive in potentia activa, sive in passiva, sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Atqui totum hujusmodi esse pure extrinsecum est iis, quæ esse in potentia dicuntur (4).*

Item: *Si consideretur emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est, quod aliquod ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est*

(1) Mastr. loc. cit., art. 2, n. 19.

(2) S. Thom., de potent., quæst. 3, art. 1, ad 2.^{am}. Cfr. ibid. art. 7, ad 10.^{am}

(3) I p. quæst. 14, art. 9.

(4) Cfr. Gregor. de Valent. Comment. in 1.^{am} part., quæst. 14, punct. 9.

nihil (1). Atqui si possibilia esse aliquid sibi proprium et intrinsecum haberent, antequam fierent, non essent nihil, sed aliquid revera essent.

Similia sunt illa: *In creatione, per quam producitur tota substantia rerum, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum; sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter et postea esse (2). Causalitas creatis se extendit ad omne id, quod est in re; et ideo creatio ex nihilo dicitur esse, quia nihil est quod creationi præexistat, quasi non creatum (3). Atqui in adversariorum sententia aliquid actuale et reale non creatum præexistit in re, quæ creatur, nempe esse quidditativum, quod non dependet a Deo tamquam a causa efficiente, sed tantum tamquam a causa exemplari.*

Denique alibi querens, *utrum possit esse aliquid quod non sit a Deo creatum*, respondet negative S. Doctor. Cum autem hæc sibi in contrarium objecisset: *Omnia, quæ a Deo sunt facta, dicuntur esse Dei creaturæ. Creatio autem terminatur ad esse... Cum ergo quidditas rei sit præter esse ipsius, videtur, quod quidditas rei non sit a Deo (4); in hæc verba respondit. Ex hoc ipso, quod quidditati esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur. Quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creatis, ubi non est creatura, sed creatrix essentialis (5). Quid, quæso, clarius scribi potuit adversus priores opiniones superius relatas? Et ex his sumi possunt aliqua argumenta ad rem hanc evincendam.*

Prob. 1.^o Si possibilia haberent ab æterno aliquid verum esse proprium et intrinsecum sibi, nulla res vere crearetur, nullaque posset in nihilum redigi. Atqui hoc absurdum est et contra Fidem divinam. Ergo...

Minor constat. Major vero probatur. Nam creatio est productio rei ex nihilo, et annihilatio est reductio rei in nihilum. At in contraria sententia res producuntur ex illo esse essentialis vel quidditativo: illudque remaneret, destructa

Probatur communi sententia.

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 1.

(2) I p., quæst. 45, art. 2 ad 2.^{am} Cfr. ib. quæst. 61, art. 2 fin. corp.

(3) S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 2.

(4) De Potent., quæst. 3, art. 5, argum. 2.^o

(5) Ibid. ad 2.^{am}

existentia. Vel si mavis aliis vocibus eandem rem declarari, creatio, ex communi catholicorum Philosophorum sententia, est productio, qua ex non ente simpliciter, fit ens. Atqui non est simpliciter non ens id, quod aliquod *esse* veri nominis proprium et intrinsecum habet, quantumvis diminutum illud sit. Ergo in adversariorum sententia nihil vere crearetur. Et ex opposito nihil redigi in nihilum posset, quandoquidem nihil remanere potest de re, quæ annihilatur.

Dices creationem esse productionem rei ex nihilo existentia, non vero ex nihilo essentia, itemque annihilationem reductionem in nihilum dumtaxat existentia. — **Verum respondeo**, «aut... quod nihil habet existentia est simpliciter et omnino nihil, aut non. Si non, ergo absolute et simpliciter non creavit Deus omnia ex nihilo, nec produxit omnia entia seu omne id, quod vere est aliquid reale; et consequenter nullum ens proprie creavit, sed unum ex alio produxit, tamquam ex potentia reali receptiva et improducta, scilicet existentiam seu rem existentem ex essentia reali, quæ dicitur esse potentia receptiva ipsius *esse* et improducta. Unde ulterius fit creaturam posse quasi gloriari, quod ex se habeat aliquid, quod non habet a Deo, nec participatum ab illo. Hæc autem omnia et similia sunt contra Fidem et naturalem rationem. Si vero tandem quis fateatur illud, quod nihil habet existentia, esse simpliciter et omnino nihil, relinquatur frivola et vanam esse distinctionem de nihilo essentia et existentia, quia quod est simpliciter et omnino nihil, non potest vere et realiter esse aliquid in aliqua ratioe veri entis. Item quia remota existentia et efficiencia primæ causæ, nihil omnino manet in effectu, ut ostensum est; ergo neque essentia manere potest sub aliquo vero esse reali distincto ab esse Creatoris» (1).

Prob. 2.^o Illud *esse* quod ab adversariis tribuitur essentia possibilibus, antequam fiant, vel est factum vel infectum. Si infectum, esset *esse* divinum; hæc enim est sententia Patrum naturali quoque lumine comprobata, quidquid a Deo factum non est, vel Deum esse vel nihil esse (2). Si factum,

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 31, sect. 2, n. 4.

(2) Vide S. Justin. in *Exposit. fidei*; Cyrill., lib. 1, in *Joann.*, cap. 6; August., libr. 1 de *Trinit.*, cap. 6; S. Thom., Opusc. de *æternitate mundi*, initio.

vel est necessario factum vel libere. Atqui non necessario, quia Fides et ratio docet Deum nihil necessario egisse, verum omnia libere: neque etiam libere, quia illud *esse* æternum ponitur a suis patronis, at certum pariter est Fide creationem temporaneam esse, non æternam. Ergo pure fictitum est illud *esse* quidditativum. Itaque possible nihil physicum sunt actu, sed in potentia non sunt nihil, verum totum illud quod in se et physice forent, si crearentur. Ideo etiam sunt aliquid positive intelligibile, secus ac chimæra, quæ nihil sunt, et actu et potentia, nec intelligi directe ac positive queunt. Plura dabunt Lossada, De Benedictis et alii AA.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

237. **Objic. 1.^o** Essentia creaturæ priusquam existat, terminat cognitionem Dei, nam supponimus Deum cognoscere non solum res omnes existentes, sed etiam possibles. Atqui nihil potest cognitionem terminare, quin aliquid habeat *esse*. Ergo possibilibus, etiam antequam existant, aliquid tribuendum est *esse*.

Resp. dist. Minor. Nihil potest terminare cognitionem, quin aliquid habeat *esse*, vel in se vel saltem in suis causis, *conc.*, præcise in se, *subdist.*, si sermo sit de scientia, quam dicunt visionis, quæ ad res dumtaxat existentes terminatur, *conc.*, secus, *neg.* Ut Deus perfectissime possiblea cognoscere queat, sufficit, ut suam essentiam omnipotentiamque comprehendat: si enim suam essentiam comprehendat, nequit non cognoscere quidquid in ea eminenter continetur, vel quidquid illius inexhaustam perfectionem imitari potest, itemque si suam infinitam virtutem comprehendat, eo ipso cognoscit ea omnia, ad quæ efficienda extendere se potest illa. Atqui talia sunt possiblea. Ergo frustra fingitur in possibilibus aliquid *esse*, sive quidditativum sive diminutum, ut possit esse terminus divinæ cognitionis possiblea representantis.

Dices. Si possiblea in seipsis nullum *esse* habent, nihil sunt. At si nihil sunt, in primis non differunt a chimæris, quæ pariter nihil sunt: deinde inepte ens dividitur in actuale et possibile, id enim perinde est ad dividere ens in ens et non ens. — **Resp. dist. Major.** Nihil sunt sive actu, sive

potentia, *neg.*, nihil sunt actu, cum tamen sint aliquid in potentia, *conc.* Quid enim, quæso, est aliquid esse nihil actu, at posse esse aliquid, nisi non existere actu, sed posse existere? Atqui quod hoc modo se habet, est ens in potentia et non ens actu, vel nihil in actu et non nihil in potentia. Chimæaræ autem et impossibilia, et generatim entia rationis, sunt nihil et actu et potentia. Et ideo etiam ut adæquata afferatur divisio entis sub tota sua latitudine, quatenus opponitur enti rationis eique, quod et actu et potentia nihil est; recte dividitur ens in actuale et possibile, quia utrumque est aliquid saltem aliquo modo reale, alterum nempe actu, alterum potentia.

Objic. 2.^o Prædicata essentialia ab æterno vere prædicantur aut certe prædicari possunt de essentiali. Ab æterno quippe verum est hominem esse rationalem, etc. Atqui omnis veritas fundatur in aliquo *esse*. Ergo...

Resp. dist. Major.; in mente divina, *conc.*; extra illam, *nego*. Tum *neg.* conseq. Nam ab æterno non fuit veritas in illis propositionibus, «nisi quatenus erant objective in mente divina, quia subjective seu realiter non erant in se, neque objective in alio intellectu. Ut autem vera esset scientia, qua Deus ab æterno cognovit hominem esse animal rationale, non oportuit essentialiam hominis habere ex æternitate aliquod *esse* reale in actu, quia illud *esse* non significat actuale *esse* et reale, sed solam connexionem intrinsecam talium extremorum; hæc autem connexio non fundatur in actuali *esse*, sed in potentiali» (1).

«Dices per illam scientiam non cognosci, hominem *posse esse* animal rationale, sed necessario esse animal rationale. Ergo solum esse potentiale non est sufficiens fundamentum ejus.—**Respondeo**, negando absolute consequentiam, quia illa necessitas non est absoluta essendi secundum aliquod esse reale in actu (qualis est necessitas essendi, quam habet Deus), sed quoad hoc est possibilitas tantum; includit tamen necessitatem conditionalem, quia *nimirum si homo produendus est, necessario futurus est animal rationale*, quæ necessitas nihil aliud est, quam identitas quædam objectiva

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 31, sect. 2, n. 8.

hominis et animalis, quam identitatem Deus simplicissime cognoscit, nos autem per compositionem, quam significat verbum *est*, quando dicimus hominem ex æternitate esse animal rationale, quod *esse* pertinet ad tertium modum, quo dicitur *esse* significare interdum veritatem compositionis» (1).

Objic. 3.^o Res creatæ secundum esse essentiali collocantur sub certo genere et specie, unde ejusdem generis et speciei est rosa existens et rosa possibilis; immo eadem numero humanitas Petri, quæ prius erat possibilis, postea existit. Ergo in utroque statu retinet aliquam entitatem essentiali.

Resp. neg. conseq. Etenim eo modo collocantur res possibles nondum factæ sub certo genere et specie, «quo eis dicuntur convenire aut vere attribui essentialia prædicata, scilicet prout objective sunt in intellectu divino aut alio quopiam; hæc enim coordinatio seu collocatio sub certis generibus et speciebus formaliter non est in rebus, sed in intellectu, habet tamen in rebus fundamentum, vel prout actu existunt, vel prout existere possunt, et objective terminare scientiam, qua cognoscuntur talis naturæ atque essentiali esse debere, si fiant. Cum ergo dicitur res possibilis et facta esse eadem numero vel specie, si sit sermo de identitate reali seu positiva, falsum est, quia hæc non est, nisi inter extrema positiva et realia; negative autem dicuntur esse una res vel unius speciei, quia res producibilis et producta non sunt duæ res, sed una, neque habent duas species aut duas essentialias, sed unam. Hæc autem unitas seu identitas negativa apprehenditur a nobis ad modum positivæ, quia comparamus rem positivam objective existentem in intellectu ad rem actu existentem, ac si essent duo extrema positiva, cum tamen reipsa non sint nisi unum» (2).

Objic. 4.^o Si essentiali creaturæ possibilis, prout objicitur simplici Dei intelligentiæ, nihil reale est, erit ens rationis. Atqui si est ens rationis: α) non poterit creari, nec proinde possibilis erit, nam ens rationis creari nequit; β) non recte dicitur essentiali possibilis habere in Deo exemplar, entis

(1) Suarez, *ibid.*

(2) Suarez, loc. cit., n. 9.

enim rationis nullum est exemplar: γ) denique scientiæ non sunt de ente reali, utpote quæ proprie sunt de essentiis, non autem de existentia. Ergo ut tanta vitentur incommoda oportet possibilibus aliquod *esse* reale ac proprium tribuere.

Resp. *dist.* Major. Si essentia creaturæ possibilis nihil reale est, erit ens rationis, si *reale* sumatur prout importat generatim aptitudinem ad existendum, *neg.*; si sumatur prout actualem existentiam involvit, *subiist.*; erit ens rationis in stricta significatione acceptum pro eo, quod habet *esse* tantum objective in intellectu, ita ut repugnet esse in rerum natura, *neg.*; erit ens rationis improprie et abusive acceptum, *trans.*

Tum *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Recte notat Cajetanus (1) ens reale dupliciter accipi: uno modo, ut distinguitur contra ens fabricatum ab intellectu, quod proprie est ens rationis; alio modo ut distinguitur contra ens existens actu. Ens reale ergo primo modo acceptum comprehendit sub se quidquid capax est existentiae: et quia non solum ea, quæ actu existunt, sed multa alia capacitatem existentiae habent, nempe pure possibilis; hæc omnia sub tali ente reali comprehenduntur, et sic ens reale dividi solet in actuale et possibile. Quamobrem essentia creaturæ possibilis est ens reale in hac acceptione, quia quamvis actu nullum esse habeat, potest tamen habere, ac proinde licet nondum existens, est tamen aptum ad existendum. In quo differt ab entibus, quæ proprie dicuntur entia rationis, ut superius vidimus; illa enim pure constringuntur ab intellectu, taliaque sunt, ut quamvis instar entium cogitentur, esse tamen in rerum natura nequeant. Si vero ens rationis sumatur, quatenus negat solam actualem existentiam, essentiae possibilis profecto entia rationis dici poterunt in sensu vocis parum usitato: quod ob stare minime poterit, quominus creabiles sint, habeantque exemplar in divina essentia, ad cuius imitationem creari possint, ac porro creentur, si Deo placeat. Scientiæ autem, quæ huiusmodi essentias contemplantur, «abstrahendo ab existentia, erunt non de entibus rationis; sed de realibus, quia considerant essentias reales, non

(1) In *Opusc. de Ente et essent.*, cap. 4, quæst. 5.

secundum statum, quem habent objective in intellectu, sed secundum se vel quatenus aptæ sunt ad existendum cum talibus naturis vel proprietatibus» (1).

Objic. 5.^o Superius distinctum est cum S. Thoma (2) et communi sententia triplex *esse*, essentiae, existentiae et veritatis propositionis. Ergo secluso *esse* existentiae et seclusa omni efficientia extrinseca asserendum est essentiis aliquod aliud *esse*, quod illis insit ab æterno. Nam illud *esse* essentiae distinctum est atque independens ab *esse* existentiae, quod solum per creationem in tempore factam convenit naturis rerum.

Resp. «equivocationem esse posse in primo illo membro divisionis, scilicet *esse* essentiae. Duobus enim modis tribuitur rebus creatis: uno modo secundum se, etiam ut nondum sunt factæ neque actu existentes. Et hoc modo *esse* essentiae non est verum *esse* reale actuale in creatura, ut demonstratum est, sed est *esse* possibile, et revocatur ad illud tertium membrum de *esse* veritatis propositionis seu cognitionis; nam ut ostendimus, essentiae creaturarum hoc modo tantum habent *esse* vel in causa, vel objective in intellectu. Solum potest constitui differentia inter illa duo membra, quod *esse* in veritate propositionis non solum habet locum in essentiis realibus, sed etiam in entibus rationis et fictitiis; sic enim verum est *cacitatem esse privationem et chimæram esse confictum monstrum*: et ideo peculiariter tribuitur rebus creatis *esse* essentiae antequam existant, ut denotetur illam veritatem fundari in *esse* potentiali apto ad existendum. Alio modo sumitur *esse* essentiae, ut actu convenit creaturæ jam existenti, et hoc *esse* est sine dubio reale et actuale, sive re sive ratione tantum distinctum, quod postea videbimus, quod non inest essentiae, nisi per creationem vel productionem agentis, et ut essentia reipsa conjuncta est existentiae» (3). Itaque licet demus *esse* essentiae hoc modo sumptum esse actuale et distinctum ab *esse* existentiae, nihil ex illo contra propositionem nostram concludere licet, quia *esse* istud non

(1) Suarez, loc. cit., n. 10.

(2) Vide S. Thom., 1.^o dist. 33, quæst. 1, art. 1, ad 1.^{am} et alii locis in 1.^a disputatione laudatis.

(3) Suarez, loc. cit., n. 11.

convenit essentiæ ex se nec secundum se, nec est improductum, sed verissime habetur per effectiorem causam; quare nihil commune habet cum illo *esse* essentiæ, de quo est præsens controversia. Nomine ergo illius *esse* essentiæ, ut distinguatur ab aliis duobus, intelligi potest connexio prædicatorum necessaria, quæ semper est affirmabilis, sive res existat sive non existat. Sunt enim quædam prædicata ita rem constituenta, ut sine illis consistere nequeat, et propterea dicuntur essentialia, quia ex illis conflatur essentia rei, quæ definitione quidditativa solet declarari. Et sicut entitas physica rei nequit existere, quin habeat huiusmodi prædicata, ita etiam solet hæc de illa necessario enuntiarum in propositionibus, quæ dicuntur æternæ veritatis, ut cum dicitur v. g.: *Homo est rationalis*; quarum propositionum vis non est, ut aliquod *esse* reale vel actuale asseratur subjecto, sed tantum necessaria concordia et connexio vel identitas prædicati cum subjecto, quæ nequit melius declarari, quam dicendo cum Suarezio propositiones huiusmodi exprimere necessitatem hanc conditionalem: *Si tale subjectum detur in rerum natura necessario erit cum tali prædicato*; v. g. *si homo existat, necessario erit rationalis vel animal, vel vivens* etc. Cæterum quod S. Thomas per illud *esse* essentiæ non potuerit intelligere ullum *esse* intrinsicum et proprium possibilibus ab æterno conveniens ex seipsis, constat ex contraria doctrina ab Aquinate disertissime, ut vidimus tradita (1).

Objic. 6.^o «Ut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile. Ergo commutata proportione, ut se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile. Sed omne ens est possibile. Ergo omne non ens est impossibile, adeoque possibile non potest esse omnino nihil» (2). Hoc argumentum a Scoto (3) tribuitur Henrico Gandavensi.

Resp. retorqueo argumentum: «Ut se habet existens ad non existens, ita possibile ad impossibile. Ergo ut se habet existens ad possibile, ita non existens ad non possibile. Sed omne existens est possibile. Ergo omne non existens est

(1) Legatur etiam in hanc rem, quæ scripsit Suarez, disp. *Metaph.* 32, sect. 12, n. 45.

(2) Apud P. De Benedictis, loc. cit., paragr. 3, Objic. 1.^a Prob. 2.^a

(3) 1.^a Dist. 36, quæst. unic.

impossible»: quod est absurdum, ac tamen sequitur ex forma argumenti ab adversario adhibita.

Directe responderi potest cum Scoto «id genus argumenti, quod in proportionibus quantitativis est evidens... in aliis proportionum generibus sæpe fallere, ut videre est in dato exemplo, in quo, ut in eo quod affertur in argumento, committitur, inquit Scotus, fallacia consequentis, quia proceditur ab antecedente ad consequens negative: *non est, ergo non est possibile*». Idemque accidit in omnibus exemplis, in quibus a notione minus late patenti ad latiore arguitur, v. g. *Sicut se habet homo ad animal, ita non homo ad non animal. Sed omnis homo est animal. Ergo omne non homo est non animal*. Item: *sicut se habet scribere ad non scribere, ita se habet posse scribere ad non posse scribere. Ergo sicut se habet scribere ad posse scribere, ita non scribere ad non posse scribere. Atqui scribens potest scribere. Ergo non scribens non potest scribere*. Hac aliaque similia argumenta eandem formam habent, ac objecto proposita, et nihilominus absurdissime concludunt. Plura dabunt De Benedictis, Nicolaus Martinez, Lossada alique AA.

ARTICULUS VI.

Utrum admittenda sit aliqua possibilitas interna, et in quo illa consistat, ac fundetur.

Plura hic simul quærentur, quorum alia ab aliis pendent. Et primo quidem in tuto collocanda est divisio illa communissime asserta a Philosophis in internam et externam possibilitatem, cujus primum membrum a quibusdam repellitur; asserta vero interna possibilitate, naturam ejusdem et radicem ac fundamentum investigabimus.

§ 1.—VINDICATUR INTERNA POSSIBILITAS.

238. Externam dumtaxat possibilitatem agnovisse videntur auctores illi, qui possibilitatem omnem a divina omnipotentia repetunt, ideoque docent res esse possibles perinde esse, ac res fieri a Deo posse. Sententia hæc tribuitur

Quinam
negaverint
internam
possibilitatem